

qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur [Mt. 5, 5]. Unde XIII questio 2²⁸⁾: *Quia alii*, et est verbum Ambrosii; et capitulo *Tempus*, et De consecratione distinctio I: *Visum*. Ipse enim dominus noster ·N· dicat: *Consolaciones tue letificaverunt animam meam* [Ps. 93, 19]. Ultimo: *Sunt dies vite*^s et cetera. Unde dicere poterat: *Abiciamus opera tenebrarum ... usque honeste ambulemus*; ad R. [13, 12], et dominus nobis dicat: *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt*, Ap. [3, 4]. Et princeps noster respondeat: *Letatus sum in hiis, que dicta sunt mihi: in domum domini ibimus*, in Ps. [121, 1]. Hanc ob causam dominus noster ·N· dicere potest cum beato Ambrosio libro antefato²⁹⁾: *Hiis igitur freti intrepide pergamus ad redemptorem nostrum Iesum, intrepide ad patriarcharum concilium, intrepide ad Abraham patrem nostrum. Cum dies advenerit, proficiscamur*^t; *intrepide pergamus ad illum sanctorum cetum iustorumque conventum. Ibimus enim ad patres nostros, ibimus ad illos nostre fidei preceptores, ut etiam si opera desint, fides optuletur, defendatur hereditas. Ibimus eo, ubi sinum suum sanctus Abraham expandit, ut suscipiat pauperes, sicut suscepit et Lazarum. In quo sinu requiescunt, qui in hoc seculo gravia atque aspera pertulerunt. Sed nunc, pater, etiam atque etiam extende ad suscipiendum hunc pauperem manus tuas, aperi gremium tuum, expande sinus tuos, ut plures suscipias, quia plurimi in Christum crediderunt. Sed tamen quamvis fides creverit, habundat iniquitas, refrigescit caritas. Ibimus ad eos, qui recumbunt in regno dei cum Abraham et Ysaac et Yacob, qui rogati ad cenam non recusaverunt. Ibimus eo, ubi paradisos iocunditatis est, ubi Adam, qui incidit in latrones, nescit iam vulnera sua flere*^u, *ubi et latro ipse regni celestis consorcio gratulatur, ubi nulle nubes, nulla tonitrua, nulle coruscaciones, nulla ventorum procella neque tenebre neque vesper neque estas neque yemps vices variabunt temporum. Non frigus, non grando, non pluvie, non solis istius erit usus aut*^v *lune neque stellarum globi, sed sola dei fulgebit claritas. Dominus enim erit lux omnium, et illud lumen, quod illuminat omnem hominem, fulgebit omnibus. Ibimus eo, ubi servulis suis dominus Iesus mansiones preparavit et ubi ille est et nos simus; sic enim voluit. Que sunt ille mansiones? Audi dicentem: In domo*

s) vie Ms.

t) proficiamur Ms.

u) fle mit hochgestelltem t Ms.

v) autem Ms.

²⁸⁾ *Decretum Gratiani pars 2 causa 13 questio 2 can. 24, 23; pars 3 distinctio 1 can. 72 (ed. Friedberg).*

²⁹⁾ *Migne PL 14, 591.*